XCV. Et hoc quidem dubium planè nullum habet, ſi unum duntaxat ſucceſſorem [illegible] reliquerit: Quod ſi v. pluribus heredibus relictis ſeni or deceſſerit, quæſtio admodum intricata eſt, omnibusve ſucceſſoribus, an uni duntaxat ex illis fidelitatem facere debeat vaſallus? [illegible] ſi quidem ex diviſione hereditatis, vel ex privilegio aut conſuetudine, vel aliâ quapiam conſimili cauſa totius rei feudalis proprietas uni alicui heredum obvenerit, ſoli ei jurandum eſſe, expeditum eſt, arg. *tit. 26 §. omnes. in fin. 2. F.* Hartm. Piſtor. *2. quæſt. jur. q. 47 n. 29.* Bocer *de inveſt feud. c. 4 n. 42.* Roſenthal *c 6 concl 38.*

XCVI. Si vero omnes rem feudalem in diviſam poſſideant, ſunt qui exiſtiment omnibus atque ſingulis hoc caſu jurari debere Gloſſ. *in l. ſi unus 13. § ſi [illegible] oportere [illegible]* [illegible]onsbec *in comm in uſus feud. p. 11. num. 16.* [illegible] *de feud c. 7. n. 36.* VVeſemb. *de feud. c. 8 n 22 & 26.*

XCVII. Alij verò uni duntaxat fidelitatem promittendam eſſe ſtatuunt. Schrad *part 6. c. 1. n. 1[illegible] verſ ſin verò omnes.* Jacob. de Belviſo *in d. tit. 26. § omnes.*

XCIIX Nonnulli denique, uni, omnium nomine Clientelare juramentū præſtandum eſſe contendunt, quorum etiam ſententia veriſſima, cæteris anteferenda videtur Zaſ. *part. 7 n. 10. & ſeqq.* Hartm. Piſt. *d. q. 47 n. 24 & ſeqq.* Vult. *d. c 7 n. 93.* VVeſemb. *de feud. c. 8. n. 2[illegible]. 6. quæ tamen.* Bocer. *d. c. 4. n. 45.*

99. A quo

XCIX. A quónam verò ille eligendus ac conſtituendus ſit? Non eſt [illegible] omnium ſententia: Quidam enim electionem Vaſallo tribuunt, ſic [illegible] arbitrio relinquant, cui is velit ex omnibus fidelitatem jurare. [illegible] de S. Georgio *in verb. qui quidem, inveſtit. n. 28.*

C. Alij verò eligendi poteſtatem ipſis hæredibus concedunt, quibus & nos calculum noſtrum adjicimus Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 47. n. 26.* Botch. [illegible] Vult. *d. c. 7. n. 94.* Bocer. *d. c. 4 n. 45.*

CI. Quod ſi verò circa electionem invicem diſſentiant hæredes, [illegible] ſit eligere, porrò quæritur? Sunt qui hoc caſu Vaſallo electionem [illegible] Vult. *d. n. 94.* & Hartm. Piſtor. *d. n 26,* Joh. Bodin. *1. de Republ. 10.*

CII. Aliorum ſententia eſt ſeniori ex heredibus fidelitatem faciendam eſſe, Andr. Tiraquell. *de jure primog. q. 85. n. 17.*

CIII. Nobis veriſſima videtur Boceri ſententia, quod nempe hoc in caſu omnibus & ſingulis juramentum præſtari oporteat *arg. l. ſtipulatio [illegible] idem ait. 6. ff. de oper. nov. nunciat.* Bocer. *d. c. 4. n. 45.* Vide etiam [illegible] *de feud. c. 7. n. 35.*

CIV. Cæterum uti Vaſallus per ſe vel per procuratorem facere poteſt fidelitatem, prout pluribus ſuprà à nobis dictum fuit: ita quoq; invé- [illegible] quod. ei connexum eſt, fidelitatis juramentum recipere poteſt dominus feudi vel immediatè ac per ſe, vel per ſubſtitutum aut procuratorē. *Clement. 1. de jurejur. cap. ſibi domino diſtinct. 63. cap. ea te 22 extr. de jurejuran.* Schrad. *p. 6. c. 4 n. 36.*

CV. Quanquam hoc intereſſe videtur, quòd cùm præſtatur juramentum per procuratorem, requiratur ſpeciale mandatum, & quidem tale, in quo verbis exprimatur nomen domini *arg l. ſi quis mihi 25. §. ſed utrum ff. de acquir hæred. cap fin. de juram. calumn. in ſext.* At cum per procuratorem recipitur fidelitas, ſufficiat generale mandatum, ut nempe is juramentum fidelitatis a Vaſallis recipiat, etiam non expreſſo nomine Vaſallorum. Schrader. *d. c. 4. n. 36*

CVI. Item quod juramentum fidelitatis per procuratorem ſpeciale mandatum non habentem præſtitum non valeat, quamvis poſtea Vaſallus [illegible] nomine id præſtitum eſt, ratum habeat, ut *ſupra theſ. 97.* fuit dictum: [illegible] autem a procuratore abſq; ſpeciali domini mandatu receptum, ſubſecuta poſt domini ratihabitione. Schrader. *d. n. 36.*

CVII. Etenim juramentum clientelare reſpectu illius, qui id [illegible] non [illegible] perſonale eſt, nec perſonę ipſius cohæret, uti reſpectu ejus, qui id præſtat [illegible] Baldum in *cap. veritatis extra jurejur.* Schrad *d. c. 4. n. 37.*

CVIII. Neq; hactenus dictis quicquam adverſatur, quod novum Emphyteutam dominus ipſe ſuſcipere cogatur, nec per procuratorem id expedire poſſit. *[illegible] §. fin autem. C. de jure Emphyt.* Argumentum quippe ab Emphyteuſi ad feudum, & ab Emphyteuta ad Vaſallum invalidum eſt, quotiens aliud in hoc quàm in illo jure feudali expreſſe ſtatutum reperitur. Everhard. *in [illegible] al. loco 30.* ab Emphyteuſi ad feudum. Expoſuimus hactenus [illegible] *quibus* fidelitatem faciant, proximum nunc eſſe videtur, ut dicamus.

DE QVIBUSNAM FEUDIS FIDELI-TAS PRÆSTARI DEBEAT.

CIX. De quo hæc regula tenenda: De omnibus omninò feudis, in quibus pacto ac conventione Domini & Vaſalli non remittitur juramentum fidelitatis in illis id præſtari oportere. Roſenthal. *in ſynopſi feud. cap.6. concl. 67.* Vult. *d.c.7.n.39.* Curtius Jun. *de feud. part.3.n.14.* Bocer. *d.c.4.n.15.*

CX. Jus enim feudale in genere atq; indiſtinctè fidelitatem à Vaſallo exigit, unicâ hac additâ exceptione: Niſi pacto remiſſum fuerit juramentum *cap. unic. per quos fiat inveſt. 2. F.3. in fine.* Exceptio autem regulam confirmat in caſibus non exceptis *arg l.1. in pr ff. de offic. eius cui mand. l. quæſitum 12. §. idem reſpondit 35 ff. de inſtruct. & inſtrum. leg.*. Ac regulæ tandiu inhærendum eſt, uſq; dum exceptio perſpicuè fuerit probata. *l. ſi ſervitus 23. ff. de ſervit. præd. urban.*

CXI. Quocirca non ſolùm de magnis ſed etiam de modicis & parvis feudis fidelitas ſeniori facienda eſt. Feuda quippe modica non minus feuda ſunt, atq; magna: Nec minus hæc feudi naturam habent, atq; illa: cùm ex philoſophorum traditis, majus & minus ſpeciem non varient. Vult. *d. cap. 7. n. 39* Bocer. *d c 4. n. 13.* Roſenth. *c.6. concl. 67.* Diſſ. Curt. Jun. *d. p.3. membr. 1. n.14.* VVeſenb. *cap. 15. n. 7.* Schrad. *p. 6. c. 4 n. 18.* Moz. *de ſubſtant. feudi n. 12.* Sonsbec. *part. 11. n. 34.*

CXII. Quanquam verò hæc ſententia in puncto juris veriſſima ſit; cùm nuſquam jura feudalia inter magna & modica feuda, quoad propoſitam quæſtionem, diſtinguant: Contrariam tamen uſu receptam & approbatam eſſe teſtatur Vult *d. c. 7. n. 39.*

CXIII. Pari modo nec in feudo à ſervitijs libero, quod FF. FRANCUM appellant, clientelaris fidelitas remiſſa præſumitur: Quamvis n. hoc feudi genus in eo à natura feudorum propria degeneret, quòd à ſervitijs liberum ſit, quæ aliàs ſecundum naturam feudi Vaſallus ſeniori præſtare cogitur in cæteris tamen omnibus naturam feudi propriam retinet. juxta *tit. 48. lib. 2. F.* Bocer. *d. c 4. n. 14.* Roſenthal. *cap. 2. concl. 59*

CXIV. Idemq; dicendum de eo feudo, pro quo Vaſallus non ſervitia, ſed annuum cenſum domino præſtat: tùm regulare ſit, feudum, cujus natura mutata eſt in uno aliquo retinere propriam ſuam naturã in cæteris *d. tit 48.* Et diſpoſitionem limitatam limitatum producere effectum *arg. l. 16 ff. de acquir. rer. dom.* Roſenth. *cap. 6 concl 66.* Bocer. *d. cap 4 n 17.*

CXV. Relinquitur itaq; de omnibus omninò feudis abſq; ullo quantitatis & qualitatis diſcrimine clientelare juramentum præſtari debere, niſi pacto fuerit remiſſum *d. c. un. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3. in fine.* Videamus nunc.

QVÆNAM SIT FIDELITATIS CLI-ENTELARIS FORMA.

CXVI. Ut autem omnibus alijs in negocijs, quæ conſenſu privatorum peragi ſolent, ante omnia id obſervatur quod ſpeciali cõventione inter illos eſt actum *l. 34. ff. de Re Iur.* cùm pacta conventa ſoleant negocijs dare formam *l 72. ff de contrah empt.* modò non ſint contra bonos mores, contra pietatem ac religionem, aut extra prohibitionem juris & negocij ſubſtantiam *d. l. 72. & l 75. ait prætor ff. de pact. l. filius, qui ſam. ff. de condit. inſtit.*

CXVII. Ita quoqꝫ cum de forma fidelitatis præſtandæ quæritur, primò videndum eſt num quid circa illam inter dominum & Vaſallum ſpecialiter conventum: Hoc enim ſi nec bonis moribus repugnat, nec pietatem lædit, nec juris prohibitioni adverſatur, omnino ſervandum eſt. *d. l. 7. §. ait prætor.* Bocer *d. cap. 4. n. 20.* Vult. *d. cap. 7. n. 40.*

CXVIII. Quod ſi nihil ſpecialiter inter eos inveniatur actum, tunc ea obſervabitur forma, quæ in unaquaqꝫ regione frequentatur, quæque loci ejusque conſuetudine recepta eſt *d. l. 34. ff. de R. Jur.*

CXIX. Si & ſpecialis conſuetudo deficiat, tum ea formâ ſacramentū fidelitatis præſtari oportet quam jus commune feudorum præſcribit. Frid. Schenck Baro *in tit 7. n. 2. verſ. quia ceſſante. 2. Feud.* Henr. Bocer. *in d. c. 4. n. 21.*

CXX. Hoc a. jus duas juramenti formulas, verbis quidē diſcrepantes; At reipſa atq; effectu coincidentes nobis exhibet: quarum prior *in c. unic. qualiter jurare debeat Vaſallus 2. Feud. 5.* hiſce verbis cōcepta eſt: *Ego juro ad hæc ſancta Dei Evangelia, quod à modo in antea ero fidelis huic, ſicut debet eſſe Vaſallus domino, nec id quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit dominus, pandam alij ad ejus detrimentum, me ſciente.*

CXXI. Altera verò extat *in c. unic. de Nova forma fidelit.* hiſce verbis propoſita: *Ego Titius juro ſuper hæc ſancta Dei Evangelia quod ab hac hora in antea uſq; ad ultimum diem vita mea ero fidelis tibi Cajo domino meo contra omnem hominem: Excepto Imperatore vel Rege.*

CXXII. Quorum verborum etſi ſententia perquam videatur perſpicua, ita ut ulteriore declaratione non indigeant: propter ſimplices tamen & nominis ſignificationis ignaros ad illorum interpretationē, ait Feudiſta, hæc adjicienda ſunt: *Ego juro quod nunquam ſcienter ero in conſilio vel in facto quod tu amittas vitam vel membrum aliquod vel quòd tu recipias in perſona aliquam læſionem vel injuriam vel contumeliam vel quod tu amittas aliquem honorem quem nunc habes vel in antea habebis Et ſi ſcivero vel audivero de aliquo qui velit aliquod iſtorum contra te facere pro poſſe meo ne fiat impedimentum præſtabo Et ſi impedimentum præſtare nequivero quàm cito potero, auxilium tibi meum præſtabo Et ſi contigerit te rem aliquam quam habes vel habebis juſtè vel fortuitò amittere eam recuperare juvabo & recuperatam omni tempore retinere Et ſi ſcivero te velle juſtè aliquem offendere & inde generaliter vel ſpecialiter fuero requiſitus, eum tibi, ſicut potero, præſtabo auxilium. Et ſi quid mihi de ſecreto manifeſtaveris illud ſine tua licentia nemini pandam vel per quem pandatur faciam: Et ſi conſilium mihi ſuper aliquo facto poſtulaveris illud tibi dabo conſilium quod mihi videbitur magis expedire tibi & nunquā ex perſona mea faciā aliquid ſcienter, quod pertinet ad tuam & tuorū injuriā vel contumeliā.* c. un. de Nova forma fidel. 2. F. 7.

CXXIII. In ſumma, qui domino ſuo fidelitatem jurat, iſta ſex in memoria ſemper habere debet: *Incolume, Tutum, Honeſtum, Utile, Facile, Poßibile cap. un. de forma fidelit. 2. F. 6.* Quibus omnia atq; ſingula quæ ex *d. c. un.* pluribus nunc ſunt propoſita, ſummarim continentur. Quanquā & iſta ad tria hæc capita *Reverentiam* ſcilicet ſeniori à Vaſallo debitam, *Taciturnitatem & commodum* domini commodiſſime referri ac revocari poſſe exiſtimet Hermannus Vultejus *lib. 1 de feud. cap. 10. n. 21*

CXXIV. INCOLUME, uti interpres eſt Feudiſta *in d. c. unic. de forma fidelit.* à Vaſallo requirit ne ſeniori in damno ſit de corpore ſuo: Hoc eſt, ut non ſolum ipſe Vaſallus ab omni facto, conſilio & auxilio per quod domini corpus & perſona, quacunque ratione lædi poteſt, abſtineat, ſed etiam pro virili caveat, ne quis alius domini perſonam

lædat vel damnum aliquod eidem inferat: *cap. unic. in verbis*: *Nunquam ſcienter ero in conſilio vel in facto quod tu amittas vitam vel membrum aliquod, vel quod tu recipias in perſona aliquam læſionem. Et ſi ſcivero vel audivero de aliquo qui velit aliquod iſtud contra te facere, pro poſſe meo, ut non fiat, impedimentum præſtabo.* de Nova forma fidelit. 2 Feud. 7.

CXXIV. TUTUM ait Feudiſta duo continere: I Ne Vaſallus Domino ſuo ſit in damno de ſecreto ſuo *d. cap. unic. de forma fidelit.* Id eſt ne ſecreta Domini ſui conſilia ſibi commiſſa atque concredita revelet, præterquam ubi è re domini id fore animadverterit *cap. unic. in verb. Et ſi aliquid mihi de ſecreto manifeſtaveris ſine licentia tua nemini pandam vel per quod pandatur faciam de Nova forma fidelit.*

CXXV. II. Ne Vaſallus Seniori in damno ſit de munitionibus ſuis, per quas eſſe tutus poteſt *d. cap. 1. de forma fidelit.* Hoc eſt ne ipſe Vaſallus vel hoſtibus ſignum det, vel dux exercitus à domino feudi creatus, hoſtibus in bello cedat, arcem Domini tradat, aut exercitum hoſtibus prodat; ſed munitiones & caſtra domini pro viribus defendat, aut in defendendis illis dominum pro virili iuvet.

CXXVI. HONESTUM itidem duo complectitur: I. Ne Vaſallus domino in damno ſit de ſua Juſtitia, Hoc eſt, ne Vaſallus ſive ſit judex in cauſſa domini, ſive à domino conveniatur, ſive ipſum conveniat, juſticiam domino adminiſtrari impediat; ſed jus potius illi ſuum reddi, juſtitiamq; ei adminiſtrari omnibus modis procuret.

CXXVII. II. Ne Vaſallus domino in damno ſit de aliis rebus quæ ad honeſtatem ſenioris pertinere videntur. *d. cap. unic. de forma fidel.* Id eſt, ne quid Vaſallus committat, quod exiſtimationem, ſtatum & dignitatem domini lædere & imminuere poſſit, quodq; in domini injuriam & contumeliam redundet; ſed potius, quantum in ſe eſt, ea omnia quovis modo augere ac tueri ſtudeat *cap. unic. in verb. Vel quod tu recipias in perſona aliquam læſionem, vel injuriam vel contumeliam, vel quod tu amittas aliquem honorem, quem nunc habes vel in antea habebis.* Et circa finem verſic. *Et nunquam. Et nunquam ex perſona mea faciam aliquid ſcienter quod pertineat ad tuam & tuorum injuriam vel contumeliam.* de Nova forma fidelit. 2 F. 7.

CXXIIX. Hinc ſcilicet Vaſallus dominum ſuum absq; venia & permiſſu magiſtratus in jus vocare nequit, quacunque etiam de re actio intentetur ſive de re ipſa feudali, ſive de re quavis alia: quoniam ſecus ſi fieret, injuria non levis domino inferretur & occaſione huius in jus vocationis perfacile honor, exiſtimatio & dignitas Senioris lædi poſſent. Vult. *de feud. lib. 1. cap. 10. n. 22.* Vdalricus Zaſius *in Epit. feud. part. 7. n. 47.* VVeſenbecius *in paratitl. ff. de in jus voc.* Diſſ: Schrader *in tractat. feudali part. 6. c. 7 n. 19.* Borcholt. *de feud. cap. 10. n. 38.* Rittershuſ. *in partit. feudal. lib. 2. c. 1. quæſt. 14. & ſequent.* Sneidevvein *in Epit. feud. part. 6. c. 4. n. 16.* Andr. Kohl. *in tract. de ſervit. feudal. part. 4. n. 80. & ſequent.* Borcholt. *de feud. c. 10. n. 38.* Intrigl. de feud. *quæſt. 58 n. 21.* Roſenth. in ſynopſi feudali *cap. 10. concluſ. 23.*

CXXIX. Qua etiam de cauſſa perſonæ illæ quibus reverentia & honor debetur, inter quas locum ſibi quoq; vindicat dominus feudi, ſine permiſſu

miſsi magiſtratus in jus vocari nequeunt: *Generaliter* inquit Modeſtinus, *eas Perſonas, quibus reverentia præſtanda eſt, ſine juſſu prætoris vocare non poſſumus l.1. ff. de in jus voc.* Et Gordianus Imp. *Edictum, ait, de in jus vocando ſine venia magiſtratus ad omnes omnino perſonas pertinet, quibus naturali ratione honor debetur l.2 C de in jus vocand.*

CXXX. Hac porrò eadem ratione Vaſallus contra dominum famosâ actione experiri aut exceptione aliqua, quæ pudorem actoris ſugillaret, non poteſt, ſed illarum loco in factum actionem intentare, exceptionemve in factum opponere compellitur Schrader. *d. part. 6. c. 7. n. 5.* Roſenth *cap. 10. concl. 23. n. 1 & ſequent.* Sonsbec. *part. 11. n. 49.* VVeſenbec. *de feud c. 9 & 10. n 12.* Conrad. Ritterſhuſ. *d. cap. 1.* Petrus de Bella pertica *in tractat. feud cap. 9. n. 16.*

CXXXI. Sic enim de parentibus atq; patronis cæteriſq; perſonis quibus honor atque reverentia debetur pluribus in locis juris noſtri civilis cautum legimus *l. 10. §. 12. ff. de in jus vocand. l. 11. ff. de dolo malo l. 4. §. adverſus ff. de doli except. l. 2. l. 5. ff. de obſeq. pat. vel patron. l. 4. C. eod.* Et certè quid reverentiæ iſti magis contrarium eſt, aut exiſtimationem & dignitatem gravius lædit quàm famoſa actio aut exceptio?

CXXXII. Unde etiam interdictum recuperandæ poſſeſſionis. *Unde vi*, adverſus dominum feudi meritò denegatur Vaſallo, quoniam exiſtimationem eius, adverſus quem hoc interdictum dirigitur, haud leviter gravat, & atrocitatem facinoris in ſe continet: Qua eadem ratione libertus contra patronum eodem uti prohibetur, teſte Ulpiano, in *l. 1. §. Interdictum 43. ff. de vi & vi armata l. 5. C. de dolo malo. tit. 23. §. ſimiliter. 2. Feud.* Jacob. Menochius *de recuper. poſſ. remed. 1. n. 95.* Roſenthal *cap. 10. concl. 23. n. 2. & 5.* Conrad. Ritterhuſ. *in d. c. 1. q. 7.* Zaſius *part. 11. n. 24.* Fornet. *de feud c. 16. n. 3.* Diſſ: Johann. Borch *in tractat feud. cap. 9. n. 18.* Vult. *2. Feud. c. 1. n. 15.*

CXXXIII. Excipitur tamen, ex omnium famoſarum actionum numero, actio criminis læſæ majeſtatis & perduellionis: Cùm enim ſalutē patriæ ac Reipub. ſaluti ſenioris Vaſallus anteponere teneatur, ut infra prolixius dicetur, Idcirco vera & communis eſt opinio, actionem prædictam, ut quæ Reip. ſaluti innitatur, ſalvâ reverentiâ, ſeniori debitâ, adverſus ipſum intentari poſſe ac debere. Vide Schenck Baronem *in tit. 24. §. Idem ſi delator n. 3. & 4.* Conrad. Ritterſhuſ. *in part. feud. d. cap. 1. quæſt. 8.*

CXXXIV. Poſtremo ex eodem fonte & hoc derivandum videtur, quòd Vaſallus juramentum calumniæ à domino ſuo exigere nequit *in tit. 33. §. in quibus etiam. 2. Feud.* Vult. *de feud. lib. 2. c. 4. n. 6.* Obrecht. *in tractat. de juram. calumniæ § n. 18.* Borcholt. *de feud. c. 10. n. 39.* Sonsbec. *part. 14. n. 35.* Roſenth. *in ſynopſi feud. c. 12. concl. 5. n. 10.* Conrad. Ritterhuſ. *d. cap. 1. quæſt. 12.* Donell. *24. comm. 13.*

CXXXV. Sic enim & filius à patre, & à patrono libertus idem juramentum poſtulare vetantur *l. 8 §. pen. ff. qui ſatisd. cog. l. 13. §. 14. ff de damn. infect. l. 7. ff. de obſeq. patron. & par præſtandis l. 16. ff de jurejur.* Non aliam ob cauſſam, quàm quòd filius parenti atq; libertus patrono ad honorem ac reverentiam obſtricti ſint, quibus omnino repugnet parentem aut patronum

ſoli alicujus & calumniæ inſimulare, ipſisq; vel calumniæ nomen objicere. *d.l.1.& l.licet ff.de obſeq. par.& patr.præſt.*

CXXXVII. UTILE, Interprete Feudiſtâ, hoc ſignificare videtur; Ne Vaſallus ſit domino ſuo in damno de ſuis poſſeſſionibus: Id eſt, ne damnum aliquod Vaſallus inferat bonis domini, ſed ea potius ab alijs damnum inferre volentibus, tueatur atq; defendat in ijsdemq;, cùm augendis, tum retinendis, recuperandis ac honeſtè acquirendis omne auxilium atq; conſilium ei præbeat *cap. unic in verb. Et ſi contigerit te rem aliquam, quam habes, vel habebis injuſte vel fortuito caſu amittere, eam recuperare juvabo vel recuperatam omni tempore retinere, de Nova forma fidelit.* Andr. Kohl *in tractat. de ſervit. feud. part. 4. n. 68.* Schrader *de feud part. 6 c. 6. n. 14.*

CXXXVIII. FACILE deniq, & POSSIBILE, hoc à Vaſallo requirunt, ut quod explicare domino facile aut poſſibile eſt, hoc ipſi Vaſallus non reddat difficile aut impoſſibile. *d. cap. unic. de forma fidelit.*

CXXXIX. Ad hæc autem ſex fidelitatis capita, hactenus recenſita, & explicata religiosè atq; ſanctè cuſtodienda ſeniori Vaſallus Sacramento ſe obſtringere debet.

ADVERSUS QVOSCUNQVE.

Seu, ut Feudiſta loquitur, adverſus omnem hominem excepto Imperatore vel Rege *d. cap. unic. de Nova forma fidelit. 2. F. 7.* De qua exceptione, & numquid plures præterea excipiendi ſint in poſtremo hujus diſputationis membro prolixè dicemus.

CXL. Atq; hæc eſt ſolennis ſacramenti clientelaris forma olim uſitata & à compilatoribus juris noſtri feudalis in libris feudorum diverſis in locis propoſita & commendata. Hodiè equidem vernacula noſtra lingua ad hanc formam jurari ſolet: Ich Sempronius ſchwere N. N. ſeiner G. vnd deroſelben Leibeslehnserben auch dero Fürſtenthumb vnd Landen / oder Graff vnd Herrſchafften / frommen vnnd nutzen zu fördern / ſchaden zu wenden vnd warnen / nach meinem höchſten vermögen / vnd ſonderlich / wo ich erführt / daß jhre Gnaden etwas an Leib / Ehre / Würden vnd Stand vnd zu entgegen / jhrer Herrſchafften / Landen vnd Leuten zu abbrechung / von jemand wolte fürgenommen werden / daſſelbe ſeiner Gnaden zu offenbahren / vnd mit höchſtem fleiß zu verhüten / auch ſonſt getrew / gehorſam vnd gewertig zu ſein zu dienē vnd alles anders zu thun / halten vnd laſſen / was einem frommen getrewen Lehnman / gegen ſeinem Lehenherrn nach gewonheit vnd rechtswegen zu thun gebüret / als mir Gott helffe / vnd

vnd ſein heiliges Wort. Sneidevvin *de feud. part. 5. cap. 1. n. 79.* Henric. Bocer. *de inveſtit. feud. cap. 4. n. 20.*

CXLI. Cæterùm, quotiescunque fidelitas præſtanda eſt, debet in forma antiquitus recepta atq; in curia domini uſitata præſtari, ſive ea communis ſit, ſive conſuetudine ſingulariter introducta. Adeo ut ſi novis quibusdam atq; inſolitis capitibus, aut aliâ, quàm ante hac, formâ conceptum fuerit juramentum, illud jure recuſare poſſit Vaſallus. Vult. *de feud. cap 7. n. 40. verſic. debes autem* Borcholt *in comm. feud. cap. 7. n. 39.* Henric. Bocer. *d. cap. 4 num. 21.*

CXLII. Interim tamen, quia non eadem eſt omnium feudorum conditio, nec etiam ſervitia omnia ejusdem ſunt generis, ſolent plerunq; domini feudorum formam Vaſallis ſuis præſcribere: idq; fieri admodum conſultum eſſe Hotomannus exiſtimat *in cap. 24. diſput. feud.* Et hactenus etiam de forma Sacramenti clientelaris: ſequitur

DE LOCO IN QVO FIDELITAS PRÆSTARI DEBEAT.

CXLIII. Et quidem ſi locus jurijurando ſit utriusq; domini & Vaſalli, conventione deſignatus ac determinatus, tum, procul dubio, eo in loco, de quo convenit, ex pacto jurabitur *l 34. ff. de R. Juris.*

CXLIV. Quod ſi de loco juramenti inter Dominum & Vaſallum nihil ſit actum: tunc locus habitationis conſuetæ: vel, ſi ibi non reperiatur dominus, locus ille ubi ſita ſunt prædia feudalia, aut ubi feudum eſt promiſſum huic rei opportunus cenſebitur *l. quod legatur 38. ff. de judic.* Laurent. Sylvanus *de feudi recognit. quæſt. 18.* Bocer. *in d. tractat. de inveſtit. feudi cap. ult. num. 13.*

CXLV. Sin verò nec hiſce in locis inveniatur dominus, quorundam opinio eſt alium quemvis locum, in quo aliàs commoratur dominus, ſi modò vicinus ſit, ita ut ſine magno ſumptu illuc pervenire Vaſallus poſſit adeundum eſſe Sylvan. *de feud. recognit. d. quæſt 18.* Sneidevvin. *part. 9. n. 4.* Schrader. *de feud. part. 6. cap. 2. n. 39.* Vult. *d. cap. 7. n. 74.*

CXLVI. Veruntamen hæc opinio cum nullum habeat in jure feudali ſatis ſolidum fundamentū, nec etiam eodem in jure uſquam præſens quæſtio reperiatur deciſa, ideo ex jure civili decidenda relinquitur juxta *c. unic. de feudi cognit. 2. Feud. tit. 1.* Atqui hoc jure, in caſu ſimili excuſatur debitor, nec ad evitandam moram alio in foro perquirere tenetur creditorem ſuum. Quapropter idem quoq; de Vaſallo hîc ſtatui oportet. Henric. Roſenthal. *cap. 6. concl. 5 n 3.*

CXLVII. Ut porro non ubivis locorum Vaſallus feudum recognoſcere fidelitatemq; ſeniori jurare cogitur ita quoq; nec quodvis tempus rei huic expediendæ congruum erit & opportunum. Hinc igitur quæri ſolet.

QUAN-

QVANDO ET QVONAM TEMPORE FIDELITAS FIERI DEBEAT?

CXLIIX. Ad quam quæſtionem verbis aliquo modo obſcuris Reſpondet Ictus Feudiſta: nempe inveſtiturã præcedere debere fidelitatẽ. *c. unic. quid præced deb. 2. Feud. 4.* Quo procul dubio ſignificare voluit Jctus, non ante inveſtituram, ſed demum poſt illam factam, faciendam eſſe fidelitatem Conrad. Rittershuſ. *in part. feudal. lib. 1. cap. 10. q. 1.* Bocer *de inveſtit. feudi cap. 1. n. 11. & ſequent.*

CXLIX. Sic enim ſemetipſum interpretatur Feudiſta *in c. unic. § fin. de Nova forma fidelit. 2. Feud 7.* illic in hæc verba ſcribens: *Inveſtiturâ autem factâ & fidelitate ſubſecutâ, omnino cogatur Dominus inveſtitum in vacuam poſſeſſionem mittere &c.* Quò quid clarius dici potuiſſet, quàm inveſtituram præcedere, ac fidelitatem ſubſequi debere? Quapropter antequam inveſtitura fuerit facta non compelletur Vaſallus fidelitatem Domino jurare.

CL. Cujus etiam ratio nequaquam obſcura eſt: Cùm enim Vaſalli fidelitas, &, quæ exinde naſcitur, obligatio dependeat ex beneficio patroni, atque Vaſallus ſeniori fidelitatem non debeat, niſi ex feudo & propter feudum: Naturæ profectò ordini conveniens eſt, Vaſallum prius ad jurandum cogi non poſſe, quàm ſi à domino per inveſtituram beneficium acceperit. Hotom. *ad d. cap. unic. quid præcedere debeat, 2 Feud. 4.*

CLI. Ex quibus ſanè perſpicuum evadit plurimum hallucinari eos, qui fidelitatem inveſtituræ partem eſſentialem conſtituunt: Quî enim pars ejus eſſentialis eſſet, cum ſit conſequens ipſius: Nunquam certè fieri poteſt, ut unum idemq; ejusdem ſimul pars ſit & conſequens. Id quod cuivis plus quam notiſſimum eſt. Vide Vulteium *lib. 1. feud. cap. 7. n. 30.* Bocer. *in d. tractat. de inveſtit. feudi cap. 4. n. 4.* Sneidevvin. *in Epit. feud. part. 4. num. 17.*

CLII. Quanquã autem hunc ordinem inverti quandoq; poſſe ſic ut prius fidelitas juretur, pòſt ſubſequatur inveſtitura, exiſtimet poſt Zaſium in *part. 6 n. 16. & part. 7. n. 14.* Conradus Rittershuſius *in partit. feudal. cap. 10. quæſt. 2.* eò quod vel ordo intellectus ſufficere poſſit, per *l. Mortuus § ſi quis ita ff. de vulg. & pup. ſubeſt.* Id tamen non aliter admittendum putamus, quàm ſi Vaſallus hoc fieri permittat: Alioquin certè inveſtituram prius faciendam, pòſt verò fidelitatem jurandam eſſe, nec prius ad faciendam fidelitatem cogi poſſe Vaſallum, quam ſi inveſtituram acceperit, ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, plus quàm perſpicuè relucet. Sequitur nunc ut exponamus

INTRA QVODNAM TEMPUS INVESTITURA FIERI DEBEAT.

Circa quàm quæſtionem neceſſariò diſtinguendum eſt inter feudum novum & vetus: ſic ut in novo feudo, faciendæ inveſtituræ nullum certum tempus, jure noſtro, feudali ſit præfinitum ac determinatum, ſed illud arbitrio domini relinquatur determinandum, qui quando ipſi commodum videbitur

bitur

bitur ad hunc actum citabit Vaſallum Borcholt. *de feud.cap.7.n.39.* Bocerus *de inveſtit.feud.cap.ult.n.1.* VVeſenbec. *de feud.cap.8.n.2.*

CLV Etſi enim Antonius Contius opinetur Vaſallum, etiam à Domino non citatum, teneri primo quoq; tempore, quod modò opportunum fuerit Domino, ipſum feudi dominum adire, eiq́;, factâ prius ab ipſo inveſtiturâ fidelitatis Sacramentum præſtare in *tractat de feud.cap.quibus mod. feudum acquir.*

CLVI. Sententia tamen ejus communi propè omnium Interpp: calculo exploſa eſt. Et non immeritò; præterquam enim quod omni prorſus juris fundamento deſtituatur: certi etiam atq; expediti juris eſt, creditorem ad petendum debitum nullo modo urgeri poſſe *l.20. C de pignor.* Multo verò minus rem debitam ob id remittere, quod ſtatim debitum ſuum non petierit *arg.l.ſi judex 41.ff de minor.l.pactum 46.ff.de pact. l pen.C. eod.* Atqui Vaſallum ante inveſtituram factam, eſſe Domini ſui creditorem, luculenter probat *cap.unic.in pr.quib.mod.feudum conſtit.* Bocer. *d.cap.ult n.1.*

CLVII. Quid verò ſi Dominus feudi in citando Vaſallo ad inveſtituram accipiendam & Sacramentum præſtandum moram longiorem faciat: ipſe verò Vaſallus ſe, quàm primum id fieri poſſit, à domino feudi inveſtiri expetat fidelitatisq́; iuramentum præſtare paratus ſit? Verius eſt Vaſallum hoc caſu conveuire poſſe dominum feudi, ipſumq́; de inveſtitura facienda interpellare, recuſantemq́; facere inveſtituram actione etiam cogere ad eam faciendam & fidelitatis juramentum accipiendum. Vult. *2. Feud. 1.num 11.* Bocer. *d.cap.ult,n.3.& cap.2.n.17.& ſeq:*

CLVIII. At verò quanam actione Vaſallo adverſus dominum, hoc caſu, experiundum ſit? non perinde expeditum eſt. Sunt enim non pauci, ijq; nec ignobiles juris feudarij interpretes, qui actionem feudi, ſive ex feudo Vaſallo competere exiſtimant; eâ ratione ducti: quod feudum ſit contractus & quidem nominatus *arg. cap.87. in extraord:* ideoq; actionem quoq; pariat nominatam Bartol. *in l.unic.n.10 ff.de condict.ex lege.* Oldendorpius *Claſſ.5.act.18. verſic. Quod autem.*

CLIX. Veruntamen nititur hæc opinio falſo principio: Non enim concedendum eſt, quamvis multorum ſuffragio id probetur, feudum, propriè acceptum, contractum eſſe *arg. tit.23 in fine lib.2. Feud.* Fr. Hotom. *6.obſerv.7.* Cujac. *in comm.feud. pag.(mihi) 12.* Fachin. *7.contr. 1.* Bocerus *in tractat. de qualit. & differen. feud.cap.1 num. 6. & in d.cap. 2.num. 17.* Diſſen: Conrad. Rittershuſ. *in partit. feud. cap.3. quæſt.4. in fine & quæſt. ſequent. 5.* Schrader. *de feud.part.2. cap.2.num.3. ſequent.* Zaſius *in Epit. feud.part.1. n.5.*

CLX. Accedit inſuper quòd cùm inveſtiturâ nondum factâ propriè non ſit feudum *cap. unic.quib.mod. feudum conſtit 1.F. 25.* non poſſit ad inveſtituram faciendam ex feudo, quod nondum eſt, actio competere.

CLXI. Alij igitur condictionem ex lege non ſcripta, ſeu ex moribus Vaſallo dari contendunt; eo quod feudum originem ſuam ex moribus ſeu ex conſuetudine trahat, non ex lege aliqua ſcripta.

CLXII. Quæ opinio præterquam quod & ipſa incerto nitatur principio, cùm expeditum non ſit jus noſtrum feudale ſit ne conſuetudinarium an verò ſcriptum? Collectio etiam parum firma eſſe videtur: quandoquidem non ſequitur jus feudorum moribus eſt receptum: Ergo actio de feudi inveſtitura competens ex moribus deſcendit: uti dilucide hoc demonſtrat Henricus Bocerus *in d. tractat. de feudi inveſtit. cap. 2. n. 18.*

CLXIII. Quapropter, his opinionibus Interpretum relictis, quæſtionem propoſitam hoc modo expediendam putamus: Ut ſiquidem ſtipulatione feudum fuerit promiſſum, tum competat actio ex ſtipulatu: ſin emptione venditione, aut permutatione feudum ſit conſtitutum, actio ex empto—venditio, vel præſcriptis verbis detur, ſin per ultimam voluntatem tum illis actionibus petatur feudũ ejusq; inveſtitura quæ de re, in teſtamento per legatum aut fideicommiſſum relicta, jure noſtro civili ſunt proditæ. Roſenthal *in ſynopſi feudali cap. 12. concluſ. 1.* Duaren. *de feud. cap. 18. num. 2.* Henricus Bocerus *d. cap. 2. num. 17. & ſequen. & cap. ult. num. 3.* Vult. *de feud. lib. 2. cap. 1. num. 11.* VVeſenbec. *in tractat. de feud. cap. 17. num. 8.*

CLXIV. Quid verò dicendum, ſi citra ſtipulationem ſolennem feudum pacto fuerit promiſſum? Qua actione tum inveſtituram petet Vaſallus? Plæriq; Interpp. (quorum in numero & illi ſunt, qui ad proximam theſin ſunt allegati) tradunt condictione ex lege, tanquam ex pacto legitimo deſcendente agendum eſſe. Vide Bocer. *d. cap. 2. n. 19.*

CLXV. Sed cùm nulla lege ſcripta aut non ſcripta pactum hoc, quo feudum promittitur, legitimum reperiatur effectum, atque ad actionem producendam nominatim confirmatum, verius putarim hic actionem omnem deficere, & Vaſallo, tanquam ex nudo pacto actionem denegari. *arg. l. legitima 6. ff. de pactis.*

CLXVI. Atque hæc quidem ita ſe habent cùm de feudo novo facienda eſt fidelitas: Ad veteris enim feudi inveſtituram petendam & fidelitatem faciendam certum tempus à jure feudali determinatum eſt: Illud autem eſt annus & dies *cap. unic. quæ fuit prima cauſſa benefic. amitt. cap. unic. de Capitulis Corradi & cap. unic. de prohib. alien. per Frideric.*

CLXVII. Dies autem cur anno adjiciatur, etſi multi ſint, qui rationem penitus, nullam dari poſſe exiſtiment Alvarott. *in d. cap. unic. quæ fuit prima cauſſa amit.* Mozius *de ſubſtantia feudi num. 48.* Sneidevvin. *part. 5. num. 5* Curtius Junior *de feud. part. 4. num. 43.* Hæc tamen non improbabilis à plærisque aſſignari videtur: quod ICto propoſitum fuerit oſtendere

diem

diem termini hîc in ipſo termino computari, annumq́; finiri eodem die menſis, quo cœpit. Mynſing. *5. obſerv. 5.* Vulteius *lib. 1. de feud. cap. 7 n. 60.* Conrad. Ritterſhuſ *in partit. feud. lib. 1. cap. 9. quæſt. 12.* Borcholt. *de feud. cap. 7. [illegible] num. 31.*

CLXIIX. Hoc porrò tempus currere incipit ab eo die, quo primùm reſcivit Vaſallus talem mutationem, circa priorem Vaſallum aut Dominum feudi, incidiſſe ut inveſtituræ renovatio petenda & fidelitatis juramentum præſtandum ſit, *tit. 55. in fine lib. 2. F.* Vult. *de feud. d. cap. 7. n. 68. & ſequent.* VVeſenbec. *de feud. cap. 8. num. 6.* Bocer. *de inveſtit. cap. ult. num. 8.*

CLXIX. Neq; à domino feudi tempus iſtud, non conſentiente Vaſallo, minui aut coarctari poteſt, ſic ut Vaſallus citius quàm poſt anni aut diei lapſum compelli poſſit ad petendam inveſtituram & faciendam fidelitatem: Tum quod dilatio à legibus alicui indulta ipſi abſq; juſta cauſſa auferri non debeat *cap. indultum de R. J. in ſext.* Tum quòd in diem debitum, ante diem, invito debitore; peti vel exigi non poſſit *§. omnis J. de Verb. Oblig. l. qui hoc anno 41. l. cum qui. 41 §. quoties ff. eod. tit.* Tum deniq; quod tempus illud ſolius Vaſalli ſpectet favorem: ac proinde non alius ſed ipſe ſolus Vaſallus ei renunciare queat. *l. pen. C. de pact. l. 11. ff. de R. I.* Schrader. *in tractat. feud. part. 6. cap. 2 num. 2.* Roſenthal. *in ſynopſi feudali cap. 6. concl. 101* Ritterſhuſius *in partit. feud. lib. 1. cap. 9. quæſt. 13.* Bocer. *de feud. inveſtit. cap. ult. n. 9.* Vult. *cap. 7. n.* Borcholt. *de feud. cap. 7. p. 1. n. 36.*

CLXX. In quo tamen articulo Jus Saxonicum à jure civili diſcrepat: Namq; ſecundum juris Saxonici diſpoſitionem, indiſtinctè permittitur domino feudi hoc tempus inveſtituræ petendæ minuere atq; Vaſallo ad inveſtituram petendam terminum breviorem aſſignare: ita ut ſi ipſe Vaſallus intra hunc terminum, ſibi a domino præſcriptum, inveſtituram non petierit, æque feudo privetur, ac ſi ipſe intra tempus à legibus inveſtituræ petendæ præſcriptum, inveſtituram non petijſſet, nec fidelitatem juraſſet *artic. 22.* Lehenrechte Schrader. *d. cap 2. n. 6.* Vult. *d. cap. 7. n. 62.*

CLXXI. Quinimo nec prorogare illud tempus invito Vaſallo poteſt dominus feudi: Nam præterquam quod non permitti debeat domino, quod non permittitur Vaſallo; quia utriusq; Vaſalli & domini, par eademq; conditio eſſe debet [illegible] & *tit 33. §. 1. lib. 2. Feud.* Vaſallo autem non liceat tempus illud prorogare, Poteſt etiam Vaſalli intereſſe ne prorogetur tempus illud. Schrader *d. cap. 2. n 7.* Vulteius *d. n 63.* Bocerus *d. cap. ult. n 9.* [illegible] *in tract. de genere & [illegible] feud. tit 2. n 54.* [illegible] Conrad Ritters [illegible] *d. cap 9. quæſt. 13* Borchol [illegible] *cap. 7 num* 36. Laurent. Sylvan. [illegible] *16.*

CLXXII. Atque hoc in tantum verum eſt ut ſi invito, aut non conſentiente Vaſallo, tempus petēdę inveſtiturę prorogetur ſenior, directo dominio, quod in feudo habet, privetur [illegible] Alvarott. [illegible]

 per

per quos fiat inveſt. Schrader, *d.cap.2.num.7.* Henric.Bocer. *d.cap.ult.n.11.* Diſſ: Antonius Contius *in tractat.feud.tit.quib.mod.feud. acquir.*

CLXXIII. Id quod etiam Juri Saxonico conveniens eſſe videtur: ſiquidem ſecundum hujus juris diſpoſitionem Dominus feudi tempus inveſtituræ petendæ abſq; juſtiſſima cauſſa prorogare non poteſt, invito Vaſallo, & ſi ipſe contra fecerit, jus ſuum, quod in iſto feudo habet, non quidem penitus, ſed eo uſq; quoad illi pares curiæ, quibus præſentibus hæc iuveſtitura petita eſt, vivunt, amittit, *d art.22.* Landrecht Schrader. *d.cap.7.n.8.*

CLXXIV. Quin verò utriusq; Domini, inquam, & Vaſalli conſenſu; prædictum illud tempus, inveſtituræ petitioni & fidelitatis jurijurando præfixum, coarctari aut prorogari poſſit, dubium planè nullum eſt. Schrad. *d.cap.2.num.5.* Sylvan. *de recognit. feud. quæſt.17.* Vult. *d. cap.7.n.62.*

CLXXV. Sed utrum hoc caſu, quo conſenſu Vaſalli tempus coarctatum & diminutum eſt, feudo privetur Vaſallus, ſi intra tempus illud inveſtituræ renovationem non petierit, nec fidelitatem fecerit? Quæſtio admodum intricata eſt: Exiſtimant tamen poſt Andr. de Iſernia Laurentius Sylvanus *in d.tr.quæſt.17.* & Ludolphus Schraderus *d.n.5.* ſi expreſsè dictum non fuerit, quòd feudo privari debeat Vaſallus ſi intra præfinitum tempus fidelitatem non fecerit nec inveſtituram petierit, ipſum feudo privari non debere. Veruntamen quia tempus, conventione Domini & Vaſalli determinatum, ſurrogatur in locum temporis legalis: Surrogatum autem ſapere debet naturam eius, cui ſurrogatur, *l.ſi cum §. injuriarum ff. ſi quis caut.* Idcirco verius exiſtimarim Vaſallum hoc caſu æquè privari feudo atq; ſi intra tempus legale inveſtituram non fecerit fidelitateq; juraric.

CLXXVI. Circa prædictum illud tempus petitioni inveſtituræ ac fidelitatis præſtationi præfixum, annum, inquam, & diem, communiter Interpretes diſtinguunt inter Vaſallum paganum & militem: ſic ut illi ad petendam inveſtituræ renovationem & fidelitatem faciendam annus & dies: Huic verò annus & menſis concedatur: Moti i in hanc ſententiam textu *cap.un. Quo tempore miles inveſt. pet. deb. tit.22. lib.1.F.* Vbi Feudiſta, *Sancimus*, inquit, *ut nemo miles ultra annum & menſem vadat, ut inveſtituram beneficij ſui à filio vel ſucceſſore Domini ſui petat &c.* VVeſenbecius *de feud.cap.8.n.3.* Johann. Borch. *de feud.cap 7.part.1.n.31.* Sonsbec. *in comm.feud. part.11.n.7.* Zaſius *in Epit.feud.part.7.n.1.* Bocer. *de inveſtit. feud. cap.ult. n.6. & 7.*

CLXXVII. Cæterûm cùm nec jura feudalia uſquam hoc modo diſtinguant: ſed generaliter & abſq; omni Vaſallorum diſtinctione, annum & diem petendæ inveſtituræ faciendæq; fidelitati præfiniant *tit.24.40. & 55. lib.2.Feud* Idcirco Franc. Hotomannus & Jacob. Cujacius *in d. cap.unic. quo temp miles inveſtit. pet.* à communi Feudiſtarum diſtinctione recedunt & allegatum *cap.unic.* ita emendant ut prô vocula (menſem) ſubſtituant (diem.)

CLXXIIX. Sed cum à correctione textuum, quantum eius fieri poteſt, abſtinendum ſit, nec quicquam in texribus juris, publicâ authoritate munitis, temerè mutari debeat; ſententia huic Hotomanni & Cujacij, tex-

tum

tum juris emendantium facilè ſubſcribendum non eſt. Vulteius *de feud. cap.7 num. 60.*

CLXXIX. Nec magis admittenda videtur opinio Andreæ de Iſernia Eguinarij Baronis *in d.cap.unic. quo temp. miles.* & Antonij Contij in *tractat. feud. tit quib. mod. feud. acquir.* qui ante quidem conſtitutiones Imperatorum, ajunt, tempus petendæ inveſtituræ fuiſſe annum & menſem poſt verò Imperatorum conſtitutionibus menſem illum in diem mutatum fuiſſe *d.tit. 55.lib.2. Feud.* adeoq; cap.illi unico *quo temp. mil.* per Friderici Imperatoris conſtitutionem in *d.tit. 55.* derogatum eſſe.

CXXC. Ut enim taceam, quòd nullo fundamento probari poſſit textum in *d.cap.unic. quo temp.miles*, tempore priorem eſſe conſtitutione Friderici Imp. *in d.tit.55.* Vult. *d.n.60.* Alijs etiam textibus feudalibus, in quibus Impp: conſtitutiones non recitantur, anni atq; diei ſit mentio; ut *tit. 24. & 40.lib.2. Feud.* Quinimo & ipſum illud *cap.unic. quo temp.miles* Imperatoris alicujus conſtitutionem continere ſatis dilucidè probat verbum (*Sancimus*)

CXXCI. Quapropter, miſſis hiſce Interpp: opinionibus, nobis non improbabilis videtur Hermanni Vultei: ſententia, qui, quoad jus ſtrictum & juris rigorem, putat intra annum & diem petendam eſſe inveſtituram & fidelitatem faciendam: Quoad æquitatem verò & humanitatem, intra annum & menſem: Sic, ut licèt annus & dies jure definitus ſit; tempus tamen illud non tam ſtrictè in judicijs, ſi fortè caſus incidat, obſervetur: ſed ſi Vaſallus poſt lapſum diei, intra ſpacium dierum 29. veniat mora adhibita celeri quadam ſatisfactione pro purgata habeatur. *in d. cap.7. n.61.*

CXXCII. Intra hoc igitur tempus annum & diem feudum recognoſci & clientelare juramentum præſtari debet: Sic ut qui fidelitatem interea facere vel recuſat, vel negligit is pœnam jure feudali præſtitutam incurrat.

SUB QVANAM POENA JURARI OPORTEAT.

CXXCIII. POENA autem illa eſt AMISSIO FEUDI, *tit 5. in fine tit. 24. 40. & 55.lib.2.Feud.* Sic ut ſi Vaſallus inveſtitus quidem fuerit; ſed in poſſeſſionem nondum inductus, non cogatur Dominus feudi hoc caſu, antequam fidelitatem promiſerit Vaſallus, eum in poſſeſſionem feudi inducere. *cap.unic. in fine. de Nova forma fidel. 2.F.7. & c. unic.in fine. per quos fiat inveſtit.2. F.3.*

CXXCIV. Sin verò in poſſeſſionem feudi etiam miſſus fuerit Vaſallus, poſſit, tanquam ingratus, jure expelli *cap.unic. ibi ſi delitatem pollicendo non aderit, tanquam ingratus exiſtens beneficium amittet. Quæ fuit prima cauſa benefic.amit. 2.F.24. cap.unic.§.præterea de probib.feud.alien.per Frider.*

CXXCV. Non quidem propria ac privata ſenioris authoritate; cùm

 nemo

nemo ſibi ipſi jus dicere debeat *l.ext. t.13.ff.quod met.cauſſa.l ſi quis in tantam 7.C.unde vi l.pen.& ult.ff.ad L.Jul. de vi* Donel.17. *comm* 2. Nec ſingulis permittatur, quod per magiſtratum publice fieri debet, ne ſit occaſio majoris tumultus *l.Non eſt ſingulis 176. de R.Jur.* Sed authoritate publica magiſtratus. Nam idcirco judiciorum vigor jurisq; publici tutela in medio eſt conſtituta, ne quilibet privatus ſibi ipſi permittere valeat ultionem *l. Nullus 14.C. de jud.& Cœlicol.* Roſenthal. *cap 10.concl.4.n.39. & ſeqq.*

CXXCVI. Id quod etiam haud obſcurè probat ipſe Imperator in *cap.unic. §.fin.quo temp. miles 1 Feud.22.* quando in hæc verba ſcribit: *Sancimus ut nemo miles adimatur de poſſeſſione ſui beneficij, niſi convictâ culpa quæ ſit laudanda per JUDICIUM parium ſuorum.*

CXXCVII. Idemq; confirmat etiam exemplum Emphyteutæ, qui licet Canonem per triennium non ſolverit; propria tamen authoritate à domino fundi expelli nequit, ſed id magiſtratus authoritate fieri oportet Fachin *1.contr.95.* Vaudus *1.quæſt.13.*

CXXCVIII. Vtrum verò Vaſallus ob non petitam, intra tempus legitimum, inveſtituræ renovationem, aut fidelitatem promiſſam, ipſo jure feudo privetur, ſic ut amplius ſententiâ declaratoriâ domini opus non ſit? valdè controverſum eſt: Rectius tamen nobis ſentire videntur, qui hac in re ſententiam declaratoriam requirunt: Qua de re vide prolixè differentem Henricum à Roſenthal *in ſynopſi feudali cap.10.concl.41.* ubi in utramq; ſententiam plurimos citat *interpp. FF.*

CXXCIX. Sed num Vaſallus poſt lapſum terminum anni & diei, renovandæ inveſtituræ ac præſtandæ fidelitati præfixum, moram adhuc celeri ſatisfactione, offerendo videlicet ſe ad jurisjurandi præſtationem, à pœna liberetur? æquè dubium & controverſum eſt, placet tamen hac in re communis FF. opinio Quod nempè purgatio moræ ſub celere ſatisfactione admitti debeat Laurentius Sylvanus *de recognit.feud.quæſt 27.* Roſenthal *in ſynopſ feud.cap.6.conclus.59.* Vultejus *c.7.n* 61. Diſſ. Schrader. *part.6.c 2. num 9*

CXC. Quæ ſententia non parum confirmatur Exemplo Emphiteutæ: Hic enim etſi ob non ſolutum canonem per triennium, emphiteuſi privari poſſit, moram tamen ſuam per celerem ſatisfactionem purgare poteſt *cap.potuit.§.Emphiteut.a extr locat*

CXCI. Verum enim vero quò minus vaſallus ob non præſtitum, intra tempus legitimum, clientelare juramentum incurrat pœnam feudi amiſſionis, duæ res inprimis faciunt 1. Si conventione vaſallo juramentum fidelitatis fuerit remiſſum ipſique ſic ab initio ſit acquiſitum, ut abſque fidelitatis juramento id habeatur *c.unic.per quos fiat inveſtit 2.Feud.3 c.unic.quæ fuit prima cauſſ benef.amit.2 Feud. 24.*

CXCII. Etſi enim ſubſtantialia contractuum pacto & conventione contrahentium immutari nequeant pactaque conventa, ſubſtantiæ contractuum contraria, contractibus adjecta, aut ipſa vitientur, aut vitient contractus

tractus eosque in aliud negocij genus transmutent *l. pact. conventa. 72. ff de contrah. empt.* Fr. Hottomannus *Illuſtr. quæſt. 36.*

CXCIII. Naturalia tamen, ſeu adminicula contractuum pactionibus immutari poſſe, ſic ut ex pactis contrahentium formam & legem contractus accipiant, certi & indubitati eſt juris *d. l. pacta conventa 72 l 7. ſ. 5. ff. de pact. l legem C. eod. l. in convent. 52.*

CXCIV. Quocirca, licèt fides ipſaque fidelitas, tanquam ſubſtantiale feudi, nunquam remitti queat vaſallo, ita ut feudum nihilominus maneat, nec in aliud negotium transformetur: Fidei tamen & fidelitatis promiſsio jurata (quæ eſt ipſa non raro, in jure feudali fidelitatis nomine inſignitur) utpote naturale duntaxat feudi, ejusque adminiculum, remitti poteſt: Id quod etiam in præcedentibus duobus textibus diſertè ſcripſerunt Feudiſtæ, atque in confeſſo eſt apud omne.

CXCV. Quanquam hujusmodi feudum, quod Interpp. F.F. injurabile vocant, improprium ſit, ut quod a propria feudorum natura degeneret notiſsimosque feudi terminos egrediatur. *Zaſ. part. ult. n. 34* Schrader. *part. 2. c. 4. n. 18.* Intrigl. *quæſt. 42. n. 14.*

CXCVI. Hinc etiam cùm in dubio feudum unumquodque ſecundum propriam feudorum naturam, conceſſum intelligatur, feudo ſimpliciter conceſſo, non præſumitur fidelitatis juramentum eſſe remiſſum Intrigl. *d. quæſt. 42. n. 13.*

CXCVII. Remiſſo autem fidelitatis juramento, vaſallus nihilominus ad univerſa jurisjurandi clientelaris capita. Seniori obſtrictus tenebitur *Zaſ. part. ult. n. 34.* Schrader *p. 2. c. 6. n. 20. 7. n. 14 & 17.* Moz. *de feud. tit. de ſubſt. feud. n. 20.* Thom. de Marin *in tract. de genere & qual. feud. tit. de feud. ſine fidelitate n. 7.* Nicol. Intrigl *d. quæſt. 42 n. 6.*

CXCVIII. Licet, ſi ea transgreditur, non ſiat propterea perjurus: Siquidem omne perjurium præſupponit jusjurandum, cum perjurium ſit jurisjurandi violatio: At violari non poteſt juramentum, quod præſtitum non eſt Schrader. *d. c. 7 n. 14.*

CXCIX. ALTERUM, quod vaſallum à pœna amiſsionis feudi liberare diximus, eſt JUSTA CAUSA, quæ illum excuſat, quod intra tempus, à lege præſtitum fidelitatem non fecerit. *c. unic. in princip. in verbis: Niſi juſta cauſa intervenerit quare non petierit. Quo temp. miles. tit. 22. lib. 1. Feud.* Alvarott. *in cap. unic. de feud. ſine culpa non amit. 2. F. 21.*

CC. Ejus verò cauſſæ, quanquam variæ ſint ſpecies; Ab Imperatore tamen quatuor duntaxat recenſentur in *in d. cap. unic. quo temp. miles.*

MORS CAPITALIS INIMICITIA INFANTIA ET JUSTA ABSENTIA.

CCI. Quod ad primam excuſationem juſtam ſeu juſtum impedimentum præſtet MORS Domini vel vaſalli, intra legitimum tempus, annum & diem, inveſtituræ petitioni & fidelitatis præſtationi præfixū interveniens, ſi videlicet contigerit vel dominum vel vaſallū ante lapſum anni & diei è vivis

dece-

decedere: Tum enim vaſallo de novo annus & dies conceditur, intra quem fidelitatem faciat, ſic ut tempus ante mortem Domini aut vaſalli fluxum minimè imputetur *d. cap. unic. quo temp. miles.*

CCII. Et ideo ſi dominus intra annum & diem vitâ fungatur, vaſallus, qui Domino fidelitatem & recognitionem antea non fecit, debet heredi domini defuncti fidelitatem facere intra annum & diem, numerandum à die ſecunda mortis. Laurent. Sylvan. *in tractat. de feud. recognit. quæſt. 39.*

CCIII. Conſimiliter ſi vaſallus intra annum & diem decedat, heres illius, ad quem jus petendæ inveſtituræ & fidelitatis faciendæ tranſit, intra annum & diem a morte vaſalli defuncti computandum, feudum recognoſcere & fidelitatem jurare poteſt. Sylvan. *quæſt. 40. & 41.* Vultejus *cap. 7. num. 86.* Zaſius *part 7. n. 7.* Borcholt. *cap. 8 n 8.*

CCIV. Adeoque tempus ante mortem primi vaſalli fluxum non computatur in annum & diem ſucceſſori vaſalli ad petendam inveſtituram & fidelitatem jurandam conceſſum, nec mora defuncti ipſi nocet; ſed ei de novo annus & dies conceditur Sylvan. *quæſt. 40.* Roſenthal. *cap. 6. concl 44* ſecus ſi annus & dies ante mortē vaſalli in totum fuerit lapſus: Tunc enim feudum ſtatim aperitur domino feudi *c. un. in pr. vers. præterea. de prohib. alien. per Frideric. tit. 55 lib 2. F.* ſive vetus fuerit feudum ſive novum. Vultejus *cap. 7. num. 86.* Diſſ. Laurent. Sylvan. *d. quæſt. 40* Zaſius *p 7. n. 9.* Moz. *de ſubſtant. feud. num. 49.* Borcholt. *cap. 8. num. 8.* Sonsbec. *part. 11. num. 12.*

CCV. SECVNDA cauſſa excuſationis eſt CAPITALIS INIMICITIA inter dominum feudi & vaſallum exorta *d. cap unic. quo tempore miles* Roſenthal *in ſynopſi feud. cap. 6. concluſ. 53.* Schraderus *part 6. cap. 2. num. 34.* Sylvan. *de feudi recognit. quæſt. 42.* Vultejus *cap. 7. num. 75.* Zaſius *part. 7. n. 4.*

CCVI. Capitalis inimicitia hoc loco, non ſolùm illa dicitur, quæ caput naturale, hoc eſt, vitam & corpus, ſed etiam quæ ſtatum alicujus, ſive caput civile, Itemque honorem, omniumque vel etiam majoris partis bonorum amiſſionem, concernit. Roſenthal. *d. concluſ. 53. num. 2.* Borcholt. *de feud. cap. 8 num.* 11.

CCVII. Hæc autem, quò juſtam excuſationis cauſſam præſtet requirunt plerique Interpp. ut citra ullam vaſalli culpam fuerit nata: ſeò quòd aliàs vaſallus ex ſua malitia ſentiret commodum Roſenthal. *d concluſ. 53. num. 7.* Sonsbec. *part. 11. num. 10.* Vultejus *d cap. 7. n. 75.* Sneidewin. *part. 5. num. 45.* Mozius *de feud. ſubſtam num 45.* Schenck Baro *in d. cap. unic. quo tempore miles* Borcholt. *d. cap. 8 n. 15.*

CCIIX Veruntamen veritati theoricæ magis conveniens videtur nihil hoc caſu penitus referre utrius culpa, vaſalli, an verò domini, ortæ fuerint, illæ inimicitiæ *arg. l. 4. & l. ex parte 22. ff de adim legat.* Modò vaſallus dolo non procuraverit eas, ideò ſcilicet ne propter has, inveſtituram petere teneatur: Schrader. *part. 6. cap. 2. n. 34.*

CCIX. Idem planè dicendũ exiſtimamus de alia quavis gravi inimicitia inter dominum & vaſallum exorta, licèt illa capitalis non fuerit, cum eadem ratio in hac, quæ in illa, manifeſtè obtineat. Laurent. Sylvan *d. quæſt. 42.* Zaſ. *d part 7 n. 4.* Roſeothal *d. concl. 53.*

CCX. Quin etiam ad minas, quibus vaſallo Dominus minatus eſt offendere ipſum in perſona, vel in rebus, ob paritatem rationis, idem porrigendũ eſſe, putamus Alvarottus *in d. cap. unic. n. 15. quo tempore miles.* Sylvanus *quæſt. 44. per tot.*

CCXI. Sed numquid procuratorem vaſallus mittere cogitur qui nomine ipſius feudum recognoſcat ac ſeniori fidelitatem juret? non per omnia expeditum eſt: placet tamen negantium opinio. Roſenthal. *cap. 6. concluſ. 53. n. 5.* Vult. *d. n. 75.* Alvarott. *d. n. 15.* Diſſ. Sylvan *quæſt. 47.*

CCXII Quanquam enim metus ille, ob quem, propter inimicitias exortas vaſallus dominum accedere non audet, in procuratore ceſſet: Non tamen hæc ſola ratio excuſationis eſſe videtur; ſed etiam quod grave ſit, inimico, fidelitatis juramento, devinciri Roſenthal. *d. concl. 53. n. 4.*

CCXIII. Et hæc in tantum vera ſunt ut, durantibus inter vaſallum & dominum inimicitijs, non cogatur vaſallus dominum accedere quamvis ipſi dominus literis ſalvi conductus cavere velit. Quoniam non tenetur quis credere literis ſalvi conductus, quoties de periculo capitali agitur Schraderus *d. c. 2. n. 36.* Sylvan. *quæſt. 45.* Vultejus *d n. 75.* Borcholt. *d. cap. 8. n. 11.*

CCXIV. Quamdiu autem inimicitia iſthæc à feudi recognitione & fidelitatis præſtatione excuſet quæritur? Sunt qui exiſtiment excuſare inimicitias per totum illud tempus à lege conceſſum ad petendum inveſtituram ac fidelitatem faciendam: Eoque tempore tranſacto, unum adhuc annum & diem concedi intra quem vaſallus, non obſtante inimicitia, fidelitatem per ſe vel per procuratorem facere teneatur; Idque ideo quia, ſi inimicitiæ eſſent perpetuæ, nunquam cogeretur vaſallus jurare domino. Alvarott. Iſernia & Ravennas *in d. cap. un. c. quo tempore miles* Sonsbec. *de feud. part. 11. n. 20.*

CCXV. Verum ab hac ſententia rectè diſcedunt alij atque tandiu inimicitias excuſare vaſallũ ſtatuũt, & quandiu illæ reconciliatæ non fuerint Roſenthal. *d. cap. 6 concl. 54. n. 1. & ſequent.* Sylvan. *quæſt. 48.* Vult *d. n. 75. in fin.*

CCXVI. Reconciliatione autem factâ, annus & dies, à jure feudali feudi recognitioni præfinitus, currere incipit à die reconciliationis atque impedimenti ceſſantis Roſenthal. *d. concl. 54. n. 4* Diſſ. Sylvan. *quæſt. 49.*

CCXVII. TERTIA excuſationis cauſſa eſt INFANTIA vaſalli *d. c. unic. quo temp. miles.* Infantia autem hoc in loco, ut & aliàs in jure civili ſeptennio terminatur nec ad annum decimum quartum completum extenditur *per text in d. cap. unic quo temp. miles. junct. cap. unic. § ſi minor. ſi de feudo defunct. content.*

CCXIIX. Quapropter qui infantiam nondum exceſſerunt, nec ſeptennium compleverunt ed fidelitatem jurandam non compelluntur, cùm doli nõ ſint capaces, nec, quid agant, intelligant *d. §. ſi minor.* Schraderus *in d. cap 2. num. 26.*

CCXIX. Idemque de infantiæ proximis dicendum: Quoniam nec hi intellectum habere videntur *§ 9. & 10. Inſtit. de Inut. ſtipulat.* Schrader. *d. n. 27.* Diſſ. Slyvan. *quæſt. 54 n. 6.*

CCXX. At qui proximi ſunt pubertati, quia jam intelligunt quid agant & doli capaces ſunt *§ in ſumma 18. I. de oblig. quæ ex delict. nego. d. § 10. I. de inut. ſtipul.* à juramento fidelitatis non excuſantur; ſed tempus præſtationi ejus à jure præfixum ab ea ætate illis currere incipit. per textum expreſſum *in d. § minori* Schrad. *d. num. 25.* Roſenthal *d. c. 6 concluſ. 41. n. 5* Diſſ. Henricus Bocer *de feud. inveſt. cap. 4. n. 12.* Vultejus *cap. 7. n. 64.* Borcholt. *d. cap. 8. num. 16.* Schenck Baro *in d. § ſi minori.* Sylvan. *quæſt. 56*

CCXXI. Quod de puberibus, viginti quinque annis minoribus, multò magis dicendum: Idemque ei jam de illis expreſſis verbis conſtituit Imp. in *cap. unic. pr. §. præterea de prohib. feud. alienat. per Frideric.* Quamvis interim hi, ex recognitione feudi & fidelitatis præſtatione, lubrico ætatis lapſi, gaudeant beneficio in integrum inſtitutionis Vult. *d. cap. 7. n. 66.* Borch. *d. cap. 8. num 18.* Sneidevvin. *part. 5. n. 30.* Schrader. *d. c. 2. n. 28.* Cart. Jun *de feud. p. 4. n. 46.* Sylvan. *de feud. recognit. quæſt. 53.*

CCXXII. QVARTA cauſſa excuſationis eſt ABSENTIA vaſalli aut domini *d. cap. unic. de tempore miles.* Abſentia vaſalli ſic demum excuſat, ſi fuerit juſta & neceſſaria, non ſi voluntaria ſit & temeraria Schraderus *d. part. 6. cap. 2. num. 41.* Borcholt. *d. cap. 8. num. 19* Vultejus *d. cap. 7. num. 47.* Sneidevvin. *part. 5. num. 41.* Quod tamen poſt Matth. de Afflict. ſic limitandum exiſtimat Sneidevvin. *d. num. 41* ut ex cauſſa non neceſſaria abſenti tempus non currat, ſi ipſo abſente cœperit: Quoniam hoc caſu vaſallo nihil imputari poteſt, ut qui cogitare non potuerit hunc caſum mortis domini vel patris ſui, cùm caſus adventitij etiam alias non ſint computandi *l. Julianus ff. qui & à quib. manum.* Vultejus *d. cap. 7. num. 74.* Roſenthal *d. cap 6. concl. 50. n. 60.*

CCXXIII. Et hæc usque adeò vera ſunt ut qui ex juſta cauſſa abeſt nec procuratorem mittere cogitur, qui nomine ipſius feudum recognoſcat ac Domino fidelitatem juret *ſed etſi per prætorem § fin. ff. ex quib. cauſ.* Borch. *d. num. 19.* Vultej. *d. num. 47.* Sneidevvin *d. num. 41.* Sonsbec. *part. 11. n. 19.* Diſſ. Sylvan. *quæſt. 47.* Vnde etiam licèt vaſallus procuratorem domi reliquit qui inveſtituram accipiat & clientelare juramentum præſtet, nihilo tamen magis tempus ei currere palàm eſt *d. l. ſed etſi per procuratorem §. fin.* Vultej. *d. n. 74.* vide & Sonsbec. *d. part. 11 n. 20.*

CCXXIV. Abſentia autem Domini excuſat indiſtinctè, ſive juſta ſit, ſive injuſta Schraderus *d. cap. 39.* Sneidevvin. *d. part. 5. num 41.* Borcholt. *d. cap. 8. num 20.* Vultejus *d. cap. 7. num. 74.* Sylvan. *quæſt. 72 & ſequent.* Et ſive in loco remoto ſit dominus ad quem non facile vaſallus absque ſumptib. maximis pervenire poſſit, ſive ſit in loco propinquo. Roſenthal. *d.*

concluſ.

CCXXV. Quod ſi tamen procuratorem domi reliquerit, qui interim dum ipſe abeſt, inveſtituram faciat & fidelitatis juramentum accipiat hoc caſu vaſallo tempus anni & diei currere verius eſt Schrader. *d.c.2.n.40.* Sneidevvin. *d.p.5.n.39.* Sylvan *quæſt.73.* Sonsbec. *part.11.n.8.* Vult. *d.n.74.*

CCXXVI. Et hæ ſunt quatuor illæ excuſationis cauſſæ, quas in *d.cap. unic. quo temp. mil.* Imperator exempli gratià recenſuit. Præter illas verò adhuc alias longè plures eſſe quæ vaſallo æquè excuſationem tribuant, dubitandum non eſt. *arg.d.c.unic.ubi* Schenk Baro.

CCXXVII. Sic enim & INFAMIAM Domini, ſed gravem tamen & magnam. Sylvan. *de feud. recognit. quæſt. 69.* Roſenthal. *d. cap. 6. conclus. 51.* Schrader. *part. cap. 2. n. 53.* Sneidevvin. *part. 5. n. 47.* Vult. *d. cap 7. n. 73* qualis eſt excommunicatio major. proſcriptio, vel bannus. Sylvanus *d. quæſt. 69 & 70.* Schrader. *d. n. 53.* Sneidevvin. *d. part. 5. n. 47.* vaſallum, à feudi recognitione & fidelitatis præſtatione excuſare, quoad ſcilicet infamia illa durat, communis eſt F. F. traditio.

CCXXIIX. Ipſius tamen vaſalli infamia non excuſat vaſallum, ne ſcilicet ex ſuo delicto lucrum ſentiat *l. ſine hereditaria l. verum § tempus ff. pro ſocio* Schraderus *d. num. 53.* Roſenthal. *concluſ. 51. in fine* Sneidevvin. *d. num. 47.*

CCXXIX. Excuſat præterea vaſallum, intra annum & diem feudum non recognoſcentem nec fidelitatem jurantem, ERROR ET IGNORANTIA JVRIS, ut ſi ignoraſſet vaſallus intra prædictum tempus anni & diei ſub pœna amiſſionis petendam eſſe inveſtituram & fidelitatem faciendam: Quandoquidem juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus; ſuum verò petentibus non nocet Sylvan. *in d. tractat. de feud. recognit. quæſt. 64.* Diſſ. Vultejus *c. 7. n. 69.*

CCXXX. Multò magis ergo IGNORANTIA FACTI vaſallum excuſabit ſi eâ deceptus intra annum & diem non juraverit fidelitatem *arg. l. 9. in pr. ff. de jur & fact ignor.* ut quia fortaſſis vaſallus ignoravit prædeceſſorem ſuum vel dominum eſſe mortuum, vel rem de qua inveſtitura erat petenda & fidelitas præſtanda, eſſe feudalem Laurent Sylvan. *quæſt 65.* præterquam ſi craſſa & ſupina ignorantia fuerit: Hæc enim excuſare non ſolet *l. 6. ff. de jur. & fact. igno.* Sylvan. *quæſt. 66.* Schrader. *d. cap 2. n. 16.* Schneidevvin. *p. 5. n. 28.*

CCXXXI. Itemque excuſatur vaſallus ſi in LOCVM, in quo facienda eſt fidelitas, tuto & ſine periculo pervenire non poſſit; vel propter tempeſtatem inuſitatam ac fluminum inundationem inſolitam &c. Sylvan. *de feud. recognit. quæſt. 83.* Vultejus *d. cap. 7. num. 83.* Schraderus *d. cap 2. num. 42.* vel propter peſtem eo in loco in quo, vel dominus commoratur,

vel quá iter ad dominum faciendum eſſet, graſſantem Sylvan. *quæſt.* 62. Sacidevvin *part.* 5 *n.* 49. Borcholt. *cap.* 8 *n.* 49. Vultejus *d. cap.* 7. *n.* 83 vel propter inimicitias quæ ipſi vaſallo cum alio, quam Domino intercedunt, Frideric. Schenck Baro *in tit.* 22. *pr. n.* 3. Schrad *d. c.* 2. *n* 34. vel propter bellum quod viget eo in loco, per quem ad dominum ire oportet Sylvan *quæſt.* 50. & 51. Vult. *d. n.* 83. Sonsbec. *part* 11. *n* 23 Adeò ut etiam hoc caſu literis ſalvi conductus ſe committere vaſallus non cogatur Sylvanus *quæſt.* 52.

CCXXXII. Excuſatur item vaſallus ſi aliud quodvis juſtum impedimentum interveniat, quo ad dominum ire prohibetur Schrader *d. c.* 2 *n.* 42. Etiamſi impedimento iſti culpa vaſalli cauſſam dederit *arg. l.* 2. *ſ antep ff. ſi quis caut.* Schrader *d. n.* 42. dummodo illud dolo non procurarit vaſallus, ne ſcilicet cogi poſſit ad domino fidelitatem faciendam. Schrader. *d. n.* 42. Nec quicquam refert, impedimentum iſtud protinus à principio aut in ipſo temporis curſu intervenerit Vult. *d. c.* 7. *n.* 86.

CCXXXIII. Hinc ſi vaſallus carcere ſeu in cuſtodia detineatur, quantumvis culpâ ejus hoc fiat, interim excuſatur, nec tempus faciendæ fidelitatis legitimum ipſi currit Sylvanus *de feud recognit. quæſt.* 77. Rôſenthal. *cap.* 6. *concl.* 52. Quâvis hoc caſu, quo culpâ ſuâ incarceratus detinetur vaſallus plærique exiſtiment teneri ipſum procuratorem mittere ac per eum fidelitatem jurare: cum alij non debeat nocere aut imputari damnum quod quis ſuâ culpâ ſentit Roſenthal. *d. concl.* 52 Schrader *d. part.* 6. *c.* 2 *n.* 45 & *ſequent.* Vultejus *d c.* 7. *n.* 78. Sylvan *quæſt.* 76. *n.* 31. ſi modo incarceratus idoneum procuratorem habere poteſt, quem ad dominum mittat, alioquin excuſatus habebitur. Vultej *d. n.* 78.

CCXXXIV. Hinc etiam morbo ſontico laborans à pœna non præſtitæ fidelitatis excuſatur vaſallus, quoniam hoc tale eſt impedimentum, quo dominum feudi quis accedere prohibetur VVeſenb *de feud. c.* 8. *n.* 7. Sonsbec. *part.* 11. *n.* 20. Vult *d. c.* 7. *n.* 80.

CCXXXV. Denique excuſatur vaſallus ſi duo de feudo & hereditate domini contendant. Etſi enim hoc caſu quidam exiſtiment jurandum eſſe actori, ſub proteſtatione quod hoc ſibi præjudicare non debeat, ſi poſtea appareat actorem non eſſe ſucceſſorem Roſenthal. *d. concl.* 52. *n.* 4. Andr. Kohl *in tract de ſerv. feud. part.* 3. *n.* 55. & *ſequent.* Alij verò poſſeſſori potius jurandum cenſeant, idque tutius eſſe Roſenthalius quoque judicet *d. concl* 52. *n.* 3. Alvarott. *in cap unic. quo temp mil. n.* 14 Zaſius *part.* 7. *n.* 7. Vult. *d. c.* 7. *n.* 77. Verius tamen videtur neutri illorum interim jurari oportere, ſed recognitionem feudi fidelitatiſque præſtationem eò uſque differendam eſſe, donec conſtet uter ex illis in feudum defuncto ſuccedat: dummodo vaſallus hoc caſu proteſtetur, per ſe non ſtare quo minus vero defuncti ſucceſſori juret Schrader. *d. c.* 2 *n* 22. Sonsbec. *part.* 11. *n.* 22.

DE EFFECTU JURISJURANDI CLIENTELARIS.

CCXXXVI. Reſtat ut de EFFECTU quoque clientelaris jurisjurandi non

& non nihil ſubjiciamus: Is verò in eo conſiſtit, ut vaſallus ad univerſa atq; ſingula fidelitatis capita, ſupra à nobis recenſita & prolixè declarata, ſeniori ſuo adverſus omnem hominem obligetur, exceptó Imperatore vel Rege. *cap. unic. de Nova forma fidel.*

CCXXXVII. Hunc enim excipi debere in omni juramento, & ſi nominatim & expreſſe exceptus non ſit, tacite tamen exceptum intelligi, ait Fridericus Imperator *in cap unic. de prohib. alienat. per Fridericum 2. F. tit. 55. in fine.*

CCXXXIIX. Excipiendum præterea eſſe antiquiorem dominum, ipſe quoque Feudiſta in *tit. 28, lib. 2. F.* expreſſè teſtatur. Huic enim cum prius ad fidelitatem obſtrictus fuerit vaſallus, & quidem adverſus hunc etiam, à quo poſtea feudum accipit, non poteſt vaſallus, poſteriori domino ſe adverſus priorem illum ad fidelitatem obligando, jus prioris domini minuere conditionemque ejus deteriorem reddere. Schenck Baro & Alvarott. *in d. tit. 28.* Rittershuſ *in part. feud. lib 2. c. 1. quæſt. 24.* Andr. Kohl *in tract. de ſervit. feud. part. 2. n. 38.* Schrader. *part. 6. cap. 6. n. 20. & 21.* Quòd usque adeò verum eſſe putamus ut neque per ſe, neque per ſubſtitutum poſteriorem adverſus antiquiorem dominum juvare poſſit *arg. d. tit. 28.* Roſenthal *in ſynopſi feud c. 8. concl. 16. n. 5.* Niſi conſuetudo illius loci, in quo bona feudalia ſita ſunt, contrarium introduxerit: Tunc enim ſi vaſallus contra priorem Dominum feudi, poſteriori domino ſervitia præſtiterit ipſe feudum non amittit. Tum quod conſuetudo loci, ſicut alios omnes actus, ita & juramentum fidelitatis, ſive obligationem ex ea deſcendentem, interpretetur, reſtringat & extendat *l. ſi prius 17. § ff. de aqua pluv. arc.* Tum quod conſuetudo, etiam iniqua & prava à pœna excuſet. Schrader *d. c. 6. n. 22.*

CCXXXIX. Conſimiliter ipſe quoque vaſallus in omni fidelitatis juramento exceptus intelligitur, ſic, ut domino vi juramenti non teneatur adverſus ſemetipſum ſuppetias ferre: Non ſolùm propterea quòd ordinata charitas incipiat à ſeipſa; ſed etiam quod in generali diſpoſitione, loquentis perſona ſemper excipiatur *arg. l. 1. ff. de ſenator. & l. Paulus. 5. fin. ff. de pignor* Schrad. *d. part. 6 c. 5. n 12.* Rittershuſ *quæſt. 25.* Necquisquam præſumatur conſenſiſſe in id, quod contra ſeipſum eſt, Vultejus *de feud. l. 1. c. 10. n. 28* Andr. Kohl. *in d. tract. part 3. n 30. & part. 4. n 22.*

CCXL. Hinc ſcilicet vaſallus non cogitur ſalutē domini, propriæ ſaluti anteponere *arg. cap. Non licet 23. quæſt. 5.* Intrigl. *de feud. quæſt. 58. n. 4.* Rittershuſ. *de feud. d. cap. 1. quæſt. 25.* Adeò ut etiam adverſus vim domini injuſtam, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſe tueri ac defendere poſſit *l. 2 & l 3. C. ad l. Cornel. de Sicar. l. 3. ff de juſtic. & jure.*

CCXLI. Vnde, cùm filius cum patre etiam naturâ pro una habeatur perſona *l. fin. C. de impub. & al ſubſtit.* conſequens eſt, ut ſicut adverſus ſe ipſum vaſallus dominum juvare non debet, prout modo eſt dictum, ita quoque nec adverſus patrem ſuum eidem auxilium præſtare poſſit: Maximè cùm ejusmodi juramentum non parum læderet honorem ac reverentiam patri à filio jure divino & humano debitam: Quale juramentum non eſſe obligatori-

um præterquam quòd per ſe ſatis eſt manifeſtum, plurimis etiam in locis expreſſe aſſeritur *l. 7. §. 16. ff. de pact. l. 112. §. fin ff. de legat. 1. l. 5. C de ll.* Cujacius *in tit. 23. lib. 2.* F Zaſius *in Epit. feud. part. 7. n. 10* Diſſ Vultej. *de feud lib. 1. c. 10. n 33.* Bocerus *de inveſtit. feud. c. 4. n. 38.* Schrader. *d. part. 6. c. 5. n. 1.* Vide & Roſenthal *cap. 8 concluſ. 14 n 7.*

CCXLII. Pari ratione cum uxor & maritus una ſint caro, inter eosque individua vitæ conſuetudo intercedat, non magis poterit vaſallus ſeniorem ſuum juvare adverſus uxorem ſuam, quam adverſus ſeipſum Roſenthal. *d. concluſ. 14 n. ult.* Speculat. *in tit. de feud. §. Quoniam.* vide Andr. Kohl. *in d. tractat. part. 3. n. 16. & ſequent.*

CCXLIII Poſtremò in jurejurando vaſalli tacitè etiam excipi intelligitur patria atque patriæ parens; cum teſte Cicerone, patria ſit antiquior parens, quam, ſi quis curaverit, major ei profectò, quàm parenti debetur gratia. Borch *de feud. c. 7. n. 42.* Vult. *d. c. 10. n. 31.* Sylvan. *de recognit. feud. quæſt. 109. n. 17.* Andr. Kohl. *in d. tractat. part. 3. n. 36.* Sonsbec. *part. 12. n. 6.*

TANTUM DE JURAMENTO CLIENTELARI.

ERRATA SIC CORRIGANTUR.

In theſi 5. lin. 1. leges juſtiſſima de cauſa. In theſi 26. lin. penult. reſpectibus. In theſi 29. lin. 4. promittatur. In theſi 30. lin. 1. l. get. In theſi 33. lin. pen facere omnino cogitur. In theſi 35. lin. 2. Erbherrn. *In theſi 57. lin. 11. decenti. In theſi 63. lin. ult. Jurantis. In theſi 80. lin ult. fidelitatem. In theſi 87. lin. 2* gevolmechtiger. *In theſi 95. lin. 3. Omnibusne. In theſi 16 lin. 5. contra. In theſi 122. lin. 6. contumeliam In lin. 9. meum In theſi 134. l. 2. nequeat.*